



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXV. De serventi desiderio Passionis, quod Dominus noster Jesus Christus habebat, ac simul de humano timore ejusdem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

jugem memoriam, & desiderium eorum bonorum; ut nauseem ista terrena, nec amplius muter, solum ad consortium vestrum anhelans. Amen.

ÆRUMNA XXV.

De Ferventi desiderio Passionis, quod Dominus noster JESUS Christus habebat, ac simul de humano Timore ejusdem.

I.

*Amor Christi
sibi summa
tortura
ejus,*



Antus fuit zelus amoris, qui in pectore Domini flagrabat pro gloria Patris æterni, quam suâ morte toto mundo diffusurus; proque doctrina & veritate cælesti à se tradita, quam passione sua confirmaturus; ac denique pro Redemptione ac salute animarum, quam sanguine suo ad finem perducturus erat; ut, quamdiu vixit in hoc mundo, non habuerit sæviorem tortorem sui dulcissimi spiritus, quam hunc suum Amorem, non ferentem differri, quod desiderabat tantopere; facientemque, ut præsentiret ea, quæ sibi perpetienda sciebat: ut ita cruciatus, quo res tantas confici oportebat, diuturnior & plenior esset maximorum meritorum, quibus redimendi fuimus; & nos intelligeremus, non à casu sed ex antiquo amore, multaque deliberatione mortem ejus & passionem tam acerbam provenisse, quam tantopere desideraverat, ac differri tam graviter tulerat. Neque ideo levior Passio fuit, quod non ultra 20. circiter horas duraverit; quia non tunc solum eam sensit, sed toto tempore vitæ suæ; dum eam, stimulante amore, & ad vivum repræsentante, naturæ humanæ sensu pertimuit.

*Continuata
per totam
vitam.*

II. Ac de ista quidem re partim actum jam est, in principio Incarnationis Domini, partim agetur infra de Agonia in horto: nam in utero matris scaturiebant fontes dolorum. In horto plenâ cataractâ ruit impetus mortis istius amaræ; & utraque merito seorsim consideratur, ob nonnulla peculiariora, quæ ibi cernuntur: sed & continuatio fluminis istius per 33. annos, in amplissimo sinu cordis divini, sitientissimi dolorum, simul & sentientissimi,

tientissimi, materia fuit arumnae continuæ, quæ meretur peculiariter & considerationem & gratitudinem. Nam ei, qui semper cum voluntate crucis incessit, obligati sumus non obedientiâ solum, quâ crucis mandatum acceptavit, & executione, quâ illi reipsa fuit affixus; sed etiam illo amore, quo per totum tempus vitæ illam desideravit, & imminentium sibi tormentorum cruciamentum, in sacratissima sua Humanitate sustinuit.

III. Continuum hoc desiderium, ac timorem simul patienti, quo semper distinebatur, Dominus aperuit, illis verbis, amore fluentibus: *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, usq; dum perficiatur?* vocavit autem suam passionem baptismum etiam alias, quando filios Zebedæi affectantes primas in regno ejus, interrogavit, an possint bibere calicem, quem ipse bibiturus; & subire baptismum, quo ipse baptizandus erat. Quæ duo nomina calicis & baptismi rem suavem gratamque significant: neque enim amor aliud refrigerium noverat, quàm calicem, & balneum sui sanguinis, quo ulcera nostra sanarentur, quorum gratiâ de cælo descenderat. Abundat S. Scriptura laudibus istius Divini lavacri & sanguinis: vocat sanguinem novi Testamenti, & amoris: dicit nos eo lavandos; eum loqui apud Deum pro nobis; per eum Christum summum Sacerdotem intrasse in Sancta sanctorum; per eum reconciliatos esse nos Deo, & remissionem peccatorum habere; & alia multa, quibus ostenditur, nobis omnia bona data per illum. Unde Apostolus dicit, sicut in veteri lege sine sanguine nulla fiebat remissio, ita etiam nobis veniam peccatorum dari solum per sanguinem Divini hujus Agnelli. Et sicuti voluit Dominus baptizari à S. Joanne, ut aquis daret virtutem sanctificandi animas nostras; ita voluit ipse lavari sanguine suo; ut sciremus, non esse sanguinem iræ & mortis, sed vitæ & gratiæ. Omnia ista bona proventura nobis à sanguine suo, semper habuit in mente; neque aliud quidquam desideravit ardentius, quàm ut effecta darentur.

IV. Et quando sanabat infirmos, claudî ambulabant, cæci videbant, muti loquebantur, resurgebant mortui, & omnes lætabantur; ipse cogitabat, beneficia, quæ recipiebant tunc pauci in

P p

corpo-

Quam
multis mo-
dis ipse
ostendit,
Luc. 12. 50.

Hebr. 9. 22.

crebra
innovavit
recordatio-
ne.

corpore, virtute sui sanguinis innumeros toto mundo percepturos in anima: neque potuit in ejus dulcissimo corde non existere summum desiderium ingentium illorum bonorum, quorum dilatione per tot annos non mediocriter affligebatur. Ex multis rebus idem est colligere; maximè ex eo, quòd toties de hac re fecit mentionem: quod certum signum est, quid suo corde versaret. Nam qualibet occasione loqui solemus de eo, cujus desiderio magno tenemur. Ita, cum Dominus videret ingratitude Judæorum, subintulit ingressum Gentilium in illa bona, quæ ipsi volebant recipere: loquens de cibo & potu, digressus est ad refectio-nem sui Corporis & Sanguinis, quæ mundo vitam tribueret. Aliàs locutus est de ovibus, quas ex toto mundo convocaturus, & in ovile suum ducturus esset. Aliàs exultans spiritu dixit, multos ab Oriente & Occidente venturos ad mensam suam. Aliàs hortatus est discipulos, ut viderent regiones jam albas ad messem. Aliàs dixit, se, cum exaltatus fuerit in cruce, omnia tracturum ad se: & sic omni occasione desiderium nostræ salutis expressit.

Luc. 12. 49.

V. Unde cum dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi, ut accendatur?* sciebat probè non accendendum, nisi baptismo sanguinis sui: cumque videret hoc differri, addidit cum alto suspirio; & *quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* usque dum baptizer ego, & abeat totus mundus in flammam amoris Divini. Quæ major teneritudo? quis amor? quæ cura major inveniri potest, quàm ista? Nescio, ubi oberrent homines, qui non multum conversantur cum Divino corde hujus Domini, tam nihil de se, tam valdè solliciti pro nobis omnibus & singulis. Hoc est clarum signum & speculum, in quo unusquisque potest videre, quàm propè, vel procùl absit à Domino, & quàm ei similes cogitationes habeat in corde suo. Nam desiderium nostræ salutis graves ei faciebat omnes horas, quibus differebatur, ad quod anhelabat tantoperè; licet omnes magnis meritorum thesauris in bonum nostrum repleverit. Hæc sola cogitatio urgebat cor ejus perpetuò. Nos autem, qui per eum redempti sumus, desideriiis ferimur omnino contrariis rerum, à quibus abhorret Redemptor noster, & quas morte suâ voluit eradicare ex cordibus nostris. Saltem hoc

*quàm pa-
rùm reda-
mamus
amantem
nos!*

autem

ausim dicere, quòd multi per tot annos vitæ suæ non reperiant unam horam ita curandi salutem animæ suæ, ut curant res eas, quibus perdunt salutem: neque tam timeant separari à DEO, quàm ab iis rebus, quæ ipsos à DEO sejungunt, & longissimè remouent.

VI. O stultitiam illorum, qui omnem curam salutis differunt in ultimam horam, arbitantes, inter illos timores reddendi rationem iudici malorum perpetratorum in vita, & imminentium exinde pœnarum, & inter dolores animam exprimentes è corpore, se attendere posse negotio salutis, ut oportet! ac Deum, quem totâ vitâ neglexerunt, rebus, quibus tunc affligentur intenti, diligere toto corde super omnia, sine qua dilectione salus obtineri non potest! Non sic agebat noster fidelissimus amicus: unam horam destinatam habebat, quâ totum sanguinem suum, & vitam pro nobis effunderet; at reliquis horis omnibus vitæ suæ moriebatur, eò, quòd hora illa tardiùs adveniret. Si ergo illi non minùs debemus pro voluntate, quàm pro opere; profectò pro tot mortibus illi sumus obstricti, quoties totâ vitâ suâ recordatus est mortis obeundæ pro nobis: nam semper accendebat in se novum ejus desiderium, novam voluntatem, novam sollicitudinem, & anxietatem de balneo sui sanguinis pro nobis perferendo.

VII. Ex eadem voluntate & amore provenit altera pars continui sui tormenti, in quo degebat, metus ac sensus dolorum, quos erat passurus. Nam ut illos elegit ad contestandum robur, constantiam, & accuratorem in victi sui amoris, non voluit unquam esse sine ista contestatione: sed quemadmodum in Passione per summos dolores ostendit stupendum excessum sui amoris, in corde suo flagrantis; sic toto tempore vitæ suæ fecit, ut sua Humanitas haberet semper animo præsentem, ac formidaret simul cruciatus immanes, quos toleraturus erat; ut his quasi lignis timoris ac sensûs Divinum suum amorem nutrirer, ac desideria patiendi magis accenderet. Solent homines generosi in pugna semper quærere loca periculosiora, ut ostendant suam virtutem: & sicut per experientiam nôrunt, quanta sint pericula; ita cum tale quid ingruit ex improvise, dum arma corripunt, naturali quodam tremore concutiuntur: sed quando venit ad rem, quò timore

*Oblivio
-moris pœ
-riculo sã*

*Terror im
-minentium
dolorum
alterum
tormentum
amoris suis
in Christo*

midiores antea videbantur, eò animosius dimicant, perrupto illo timore, longè alios se ostendentes, quàm apparuerint ante prælium. In simili metu crudelis pugnae vivebat sanctissima Humanitas Domini, amore illam ad generosè ineundam urgente: & inter has angustias, quas faciebant hinc metus, inde desiderium perveniendi ad mare immensorum laborum, semper vixit dulcor ejus. Ideò, cum dixisset, quàm gravis sibi foret dilatio baptismi cruenti, addidit: *Non veni pacem mittere, sed separationem ab omni solatio, & gladium, seu pugnam atrocissimam inter dolores & ignominias: Ignem veni mittere in terram*, qui volo, ut accendatur & crescat in prælio contra tentationem rerum separantium à veris bonis, ut homines pugnando & amando acquirant vera bona, quæ illis ostendo ac præparo; eadem viâ incedens, ac meum erga ipsos amorem demonstrans, quàm mihi suum volo probari.

Matth. 10.
34.
Luc. 12. 49

VIII. Grandis est hæc lectio pro servis Dei, qui amore urgente illos ad magna, naturali infirmitate deprimi se sentiunt non sine alto suspirio. Dominus, qui tam magnificam fabricam posuit in tam debili fundamento, sic voluit, ut infirmitas naturæ, cui non consentit voluntas, nihil officiat perfectioni amoris; sed valeat potiùs ad eum augendum; quia sensus humanæ miseræ, doloris & afflictionis, cum viget spiritus, magis accendit intima desideria, & suspiria ejus libertatis, quam cupit habere; ut sine impedimento possit impendere se, sicut ipsum erga se liberalem experitur. Et quando se generosè resolvit ad ea, quæ caro timet, pergitque fortiter, quantum per fragilitatem naturæ potest, in oculis amatoris sui Domini Jesu, conatus amoris ejus pluris æstimatur, pugna fidelior, amicitia sincerior: & ubi natura fatiscit, spiritus cum hoc Divino & experientissimo Duce acquirit nobiliores coronas.

De Transfiguratione.

I.

Ex premio patientia per transf- **E**T metum, & desiderium patiendi Christus Dominus noster ostendit in Transfigurationis mysterio: quæ fuit delibatio quadam divitiarum præparatarum amatoribus ejus, & crucifixis ejus

eius amore. Nam octavo die, posteaquam suis aperte tradiderat regiam viam sanctæ Crucis, qua solos suos volebat imitari se, nec eos pro suis agnoscere, qui non post se portarent crucem suam; æstuans desiderio, ut conspiceretur in cruce, de qua identidem loquebatur, decrevit eis dare aliquem gustum suæ gloriæ, ut suis crucifixis dilataret cor, & inflammaret eorum spiritum, experientia ejus boni, quod latet in cruce: & in ejus veritatis testimonium tres elegit ex Apostolis: S. Jacobum, qui primus eorum amore ipsius capite plectendus; Petrum, qui pro ipso in cruce moriturus; & Joannem, qui post fidelem assistentiam sub cruce, multis annis in incendio puri ejus amoris victurus erat. Cum his recessit in montem Thabor (quod nomen puritatem vel rem selectam significat) ibique cœpit orationi vacare; ut ostenderet plus in ea roboris esse quàm debilitatis in corde humano, ad perferendas molestias, quas oportet pro regno cælorum subire; vim quoque ad purificandum amorem, ac transformandum hominem, è statu terreno & vili in cælestem ac spiritualem. Sub oratione Dominus permisit gloriam animæ, quam ideo, ut pati posset, hætenus constrictam tenerat, pro tempore derivari in corpus: facies ergo sole clariùs resplenduit, vestimentis præ nive candicantibus. Ex quo conjicias, si corpori miserabili, & corruptibili tanta gloria conceditur, quanta præparata sit animæ, quæ vivit solo amore Dei in ipsa regnante.

II. Comparuerunt cum Domino Moyse & Elias, electi singulariter è Sanctis aut quis ad hoc mysterium, velut aptissimi testes amoris & ærumnarum; in quibus fundare cupiebat corda fervorum suorum. Nam Elias pro honore Dei totâ vitâ suâ non habuit quietem à persecutione, & odio impiorum; & igneo curru sublatus è terra, documento fuit, afflictos in solo amore Dei reperire quietem ac solatium: illo enim sublevantur à cogitationibus rerum terrenarum, & afflictionibus. Moyse olim in præsentia & familiaritate Dei vivere solitus, ejus amore sustentabatur, quo factum est, ut fastidiens regales delicias in domo Pharaonis, mallet vivere cum populo Dei in ærumnis, quàm in aula frui voluptatibus: quo facto ostendit, quid amor Dei faciat in animabus, quas

possidet, omnem saporem terrenarum rerum eis adimendo, sive dulcium, sive acerbarum, in dies se magis magisque purificans.

*cum Chri-
sto de aru-
minis agunt*

III. Domino inter hos fideles amatores suos, & insignes amatores crucis ita constituto in gloria, quis exprimat, quid senserint, cum viderent eum in corpore, quem tam ardentem desideraverant? intuebantur oculis pulchritudinem ejus corporis; fide autem vivacissima cernebant puritatem & beatitudinem animæ, cum flagrante amore, & maximis thesauris in ea reconditis, quos nullus hominum capere possit, ne dum verbis exprimere. Cumque tam multa essent, quæ videbant ac mirabantur in illo, de nulla tamen re cum eo noverunt agere, nisi quam intelligebant ei dulcissimam & gratissimam esse; quæ fuit omnem modum excedens amor erga homines, ejusque demonstratio per gravissima dirissimaque tormenta & ignominias, cum acerbissima morte crucis in Jerusalem. Et quemadmodum sæpe Dominus ipse cum discipulis distinctè loquebatur de flagris, alapis, probris, & cruce sua, tanquam de rebus, quarum unaquæque teneret omnem gustum, ac sensum animi sui: ita hi duo amatores illius, suspensi in admirabili ejus pulchritudine interna & externa, simul & in Divino amore, quo ardentem videbant, locuti sunt vel de spinis, quibus coronandus; vel de alapis, quibus deformandus; vel de lacrimis, quibus perfundendus; sive de tormentis, quibus per singula membra afficiendus, in victa semper patientiâ; ac denique de triumpho amoris ejus, quo ad propositum sibi finem perducturus erat, quæcunque desiderabat. Notârunt inter hæc anxia ejus desideria, quibus dulce cor ejus aspirabat ad hæc omnia: viderunt submissionem, resignationem sacratissimæ Humanitatis ad ea perpetienda. Viderunt, quantum accendendus esset amor ejus his veluti lignis: viderunt se advocatos, ut, quia discipuli hæc nondum capiebant, cum ipsis loquendo mitigaret nonnihil flammam & vim amoris, desiderio rerum illarum coarctati, & fructuum inde proventurorum. Atque in hac re sola consumpto colloquio, pleni solatio ab eo dimissi fuere.

*scientes, his
cum maxi-
mè debita
71,*

Deus Pater

IV. Duo hinc præcipuè consideranda sunt. Primò vox Patris dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit*

9.

placui ipsum audire. Quibus verbis non modò probavit amorem unigeniti sui erga homines, quem ipse quoque habuit ab æterno, easdem demonstrationes illius per crucem animo suo designans, & illi unâ cum natura sua per generationem communicans: verùm etiam docuit, sibi solos illos placere, qui audiunt ipsum & imitantur: cùm dederit eum non pro Reconciliatore solum & Redemptore, sed etiam pro Magistro & speculo vitæ. Unde etiam non dixit: de quo, sed in quo mihi complacui. Nam dicere, quòd complaceret sibi de illius divina persona, nihil atinebat, cùm id per se clarissimum esset: sed in illo solo velut in capite Ecclesiæ suæ placere ipsi, quotquot ei charitate conjuncti, & imitatione similes effecti sunt, hoc indicare volebat: sicut ipse quoque Dominus dixit, nullum fructum Patri gratum proferre posse eum, qui in ipso non manserit. O quot animæ sunt, quæ DEO non placent, quia in Christo non sunt! quidquid enim in Christo locum non habet, Patri æterno placere non potest: quia in solo Filio suo complacet sibi. Placent ei cogitationes, intentiones, actiones, quæ cogitationibus, intentionibus, actionibus Christi conformantur: quæ autem sunt tales, ut Christum puderet eas habere in se, DEO placere non possunt. Christum igitur solum audiamus, aliis omnibus aures claudendo.

ut Christi
sum, ita
imitatores
ejus
unicè amant

V. Secundò consideratione dignum est, quod descendentibus illis de monte præcepit JESUS dicens: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Quo præcepto innuit, neque intelligendo, neque coniecturâ assequi posse secretum amoris & crucis, nisi qui multùm & seriò tractaverit de rebus cælestibus. De S. Paulo dixit Dominus Anania. *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Ostendit hoc illi in cælo; unde rediit sic illuminatus & accensus in hac doctrina, ut, cùm scripssisset, se ibi audivisse arcana, quæ non licet homini loqui, ea colligens in summam, conclusit, se nihil aliud novisse, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum: nam fuit ei deinceps tam familiare pati, quàm diligere. Ex quo intelligitur causa, cur Deus, post casum Adami, suis amicis non dederit securam ac diuturnam pacem in mundo, sed majorem partem voluerit

Act. 9. 16.

Gubernatio
mundi de-
pendet à
prædestina-
tione San-
ctorum.


eos versari in miseriis. Quia enim gubernatio mundi dependet à prædestinatione Sanctorum, quos DEUS habet in hoc mundo, velut in schola sapientiæ cælestis, & exercitio puri amoris; operuit eum tanto diluvio malorum, ut nusquam consistere, neque requiem possint habere, nisi in arca, qui Christus est: in hoc dat eis secretò pacem tam dulcem, suavemque, mundo planè incognitam, ut eximat eis omnem formidinem tribulationum, & amorem eorum, quæ mundus infatuatus magni æstimat: cùmque omnem suam cogitationem in uno Christo defixerint, alma in pace dormiant, & requiescant. Quare Dominus, cùm triginta annis jactatus esset in immenso turbulentoque mari suæ Passionis, voluit his tribus discipulis ostendere secreta sui amoris & crucis, videlicet latentem in illis gloriam & pacem internam, preparatam veris imitatoribus suis. Voluit autem ista clam haberi, donec plenè instituti essent in rebus cælestibus per sapientiam Spiritus sancti, quia talium Mysteriorum capaces non sunt, nisi illustrati amore, sapientiâ, & conversatione cælesti.

Vnde pro-
pter solos
Electos per-
severat
mundus, ut
illi in hoc
ærumnis
exerceatur

Conf. l. 9,
c. 1.

VI. Nolite igitur, O Christiani: expectare mitigationem, neque intermissionem ærumnarum vestrarum in mundo; quia terra quietis ac pacis locus non est. Atque hoc expedit Electis, propter quos solos mundus conservatur, ut pacem in mundo non habeant; sed cùm vident eos, qui suas cogitationes extra DEUM collocant, ab hisdem rebus, quibus stultè adhærent, torqueri velut à carnifice, timeant amorem suum in eis collocare. Quærite pacem & consolationem ærumnarum, quas patimini, ubi inveniri potest: scilicet, in solo amore divino, & suavi conversatione cùm Christo, & experiemini magnam hanc veritatem, quam in corde suo inflammato sensit S. Augustinus post suam

conversionem, cùm scripsit: *Quàm suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat!*



ÆRUMNA